

F. K. 57. (41)

X 2047435

IV, 34

Zb
6960

RECTOR
UNIVERSITATIS LIPSIENSIS,
Ad Exequiarum Officium
DOMINO
JOH. CHRISTIANO
HIPPPIO,

Philosophiæ & Medicinæ Doctori,
 Facultatis Medicæ Assessori,

hodie XXII. Decembris Anni MDCXCII.

hora I. meridiana

prolixè præstandum

CIVES ACADEMICOS

peramanter vocat.





Bestorum sanctissimum, ad quod rite celebrandum se præparat Christi Ecclesia, Patres Theophaniam & Natalem Jesu nuncuparunt, Germani nostri verò **Weinnachten** nominant. De cujus vocis originatione Viros doctos sollicitos fuisse passim legimus. Ac noctis quidem appellacionem Matthæus Dresserus noster in libro de Festis diebus Christianorum, Judæorum & Ethnicorum pag. 233. a veteri consuetudine Germanorum & Gallorum deducit, qui temporis spatia, non dierum, sed noctium nomenclatione extulerunt. Vocis alterius **Wein** derivationem vel ethnicam vel Christianam facit. Ethnicam quidem, dum ait, veteres Germanos in Idolomania vocasse **Weinnachten** / a vino, quod alius alium bono vino id temporis donarit. Sed Poeta Germanus vetustus **Othoblad öcke von Schamp im Blumenselde** cap. 88. pag. 85. Festum a Germanis tunc peractum, ac a vini potu nocturno nominatum canit:

Der Tuitschon hieß er seelig /
Der Nerthon aller Götter Mutter helig /
Die wir ih̄o nennen der Erden /
Drum daß alle Ding ernehrt sie heur mit Freuden /
Den achten Tag vorm Neuen
Jahr / bracht er ihr in Treuen /
Dran man die Nacht must wachen /
Und trincken Wein / auch frölich seyn und lachen /
Der sonst verbothen ihnen ;
Daher das Fest der Weinachten mit Sinnen
Und der Mutter nach wird gesprochen &c.

Nimirum, quo tempore Græci & Romani sua Saturnalia, inter lautissimas lætissimasq; epulationes egerunt, eo Germani, ut sic loqui liceat, bona vinalia habuerunt. Indecum Christiani veteres Saturnaliorum festum abrogaturi in locum ejus Natalem Domini instituisent, ac ea festivitas tandem ad Germanos ad Christi fidem conversos transfisset, nomen antiquæ superstitionis sanctis feriis, quas nox felicissima Salvatoris nativitate auspicabatur, remanere potuit. Quod commendare valebat allusio (quam etymologiam Christianam Dresserus vocat) qua **Weihnacht** dicitur, quasi sancta nox, propter Christum in illa natum, siquidem Germanis **weihen** est sacrare. Unde in precatioe Dominica antiquis rythmis exposita, **weyhe sey namo theiner** / Sanctificatum sit nomen tuum, & **Kirchweyhe** / templi consecratio. Putidissimas fabulas Monachorum plane sapit narratio, fontes aquarum vini saporem habuisse nocte ea, qua nascebatur Christus, atque in tanti miraculi memoriam nomen factum fuisse **Weinnacht**. Auctores allegavit Dubenus in Catalogo Miraculorum, quæ ante & post nativitate Christi acciderunt. Omnibus meritò placebit, sive ex allusione, sive ex etymologia ducta meditatio, nos illa nocte per Sacro-
san-

sanctam Christi nativitatem initiatos esse Sacris Christi, Deoq; in æternum consecratos. Filius DEI particeps factus est carnis & sanguinis, ut nos liberos redderet a metu mortis, cui per omnem vitam eramus mancipati Hebr. II. 14. 15. Devote Bernhardus perorat Sermonem I. in vigilia Nativitatis Domini: *Nec sane otiosa Nativitas, aut infructuosa dignatio majestatis; Jesus Christus filius DEI nascitur in Bethlehem Judæ. Vos, qui in pulvere estis, expergiscimini & laudate: Ecce Dominus venit cum Salute. Venit cum unguentis, venit cum gloria: neque enim sine salute Jesus, neque sine unctione Christus, nec sine gloria venit DEI filius. Siquidem ipse salus, ipse unctio, ipse gloria, sicut scriptum est (Prov. 10.) Gloria Patris Filius sapiens. Felix anima, quæ gustato salutis fructu trahitur & currit in odorem unguentorum, ut videat gloriam ejus, gloriam quasi unigenitæ a Patre. Respirate, perditæ, venit Jesus querere & salvum facere quod perierat. Morbidi convalescite, venit Christus, qui contritos corde sanat unctione misericordie sue. Exultate, quicumque estis grandia concupiscentes, descendit ad vos Filius DEI, ut regni sui faciat coheredes. Hec tria, dilectissimi, sapiunt mihi, quod audio nasci Jesum Christum Filium DEI. Quare enim vocamus nomen ejus Jesum, nisi quia ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum Matth. I. Aut quare Christus nominari voluit, nisi quia computrescere faciet jugum a facie olei. Esa. 10. Quare Filius DEI factus est homo, nisi ut homines faceret filios DEI.* De quibus spiritualibus beneficiis in Ecclesia ex ore Ministrorum DEI hoc tempore plura percipiemus. Quo ipso instante, cum sibi ex hac vita discedendum esse intelligeret Dn. JOHANNES CHRISTIANUS HIPPIUS, Philosophiæ ac Medicinæ Doctor, Facultatis Medicæ Assessor & Practicus inclutus, non se animo anxio, sed ad natalitia Christi inter choros Angelicos celebranda evocantem DEUM libentissime secutus est. Nam & talem obsequentissimam DEO voluntatem Viri fuisse, historia vitæ omnis comprobatur. Natus est in hanc lucem Anno MDC. XXXIII. die VIII. Junii Pirnæ, in Misniæ civitate haut obscura, Patre Dn. M. JOHANNES HIPPIO, patria Wodiano, in Bohemia, Carolinæ Academiæ, quæ Pragæ est, Quæstore, & Statuum Evangelicorum Secretario. Avum paternum habuit Dn. ADAMUM KONITZSCHECK, id est, Hippium, civem & Mercatorem Wodniæ, majoribus illic fatis notis, ortum. Mater ei fuit Dn. CHRISTINA nata Wischinia, Avus maternus Dn. GEORGIUS WISCHIN, Liber possessor prædii ruralis Dholau, duobus miliaribus Praga distantis. Parentes filium, quamprimum institutionis capax erat ætas, summa cura ac diligentia educare studuerunt, neque in exilio, in quod relictis bonis suis cum aliis Augustanæ Confessionis in variatæ addictis, ire Potificiorum inexorabilis sævitia compulerat, quicquam omiserunt. Anno MDCXLVIII. in Scholâ patriâ informatum Dresdam translulerunt, ubi tam in Schola publica a Præceptoribus, quam a Dn. M. TILSNERO privatim eruditus, Latinæ Liuguæ studium continuavit. Anno sequente post nundinas Paschales Lipsiam venit, atque commendante B. D. JOHANNES HUL-

2b 6960

HULSEMANNO in Thomanam Scholam' alumnus receptus est. In hac sub CRAMERO, Rectore, RAPPOLTO tunc Conrectore, post Theologiae Professore in hac Academia, M. HORLEMANNO Collega III. TOBIA MICHAELE Cantore, viris perquam literatis, & instituendae juventuti natis propemodum in studiis humanioribus pro docilitate ingenii, quod bonum nactus erat, ita profecit, ut commilitonum nulli cederet. Itaq; satis idoneus Academica studia incepit Anno M DCLV. lectionesque primum Philosophicas, quas tunc habebant, SCHERZERUS, SCHWENCKIUS, SCHWERTNERUS frequentavit. Deinde Medicæ Arti se addicens celeberrimis ejus Doctoribus, MICHAELI, WELSCHIO, URSINO diligentissime affedit. Hinc merito suo A. MDCLXIII. Philosophiæ Magister, A. M DCLXVII. Medicinæ Licentiatus, MDCLXVIII. Doctor creatus, atque in Facultatem Medicam Assessor Anno MDCLXXXI. cooptatus fuit. Uxorem sibi elegit, ac solenniter copulatam An. MDCLXVII. die 5. Aprilis amplexus est DN. SUSANNAM natam WEBERIAM, DN. CAROLI GUNTERBORNII, Mercatoris quondam apud nos celebris viduam, qua cum summa conjunctione animi egit, & ab ea editos suscepit A. MDCLXIX. filium, DN. PAULUM HIPPIUM, Jur. Studiosum, & alterum An. MDCLXXIII. JOHANNEM, quem, ubi vix octodecim hebdomadas vivendo attigisset, morte amissum deflevit. Sic altera vice vidua facta uxor mariti, ac filius Parentis amantissimi obitum admodum lugent. Vitam defuncti nostri a Juventute bellum Germanicum tricennale, exilium parentum, ac inde res angusta domi, afflictam miseramque fecerunt, ex quibus tamen calamitatibus per gratiam DEI eluctatus est. Morbos corporis raro quidem, sed graves pertulit. Nam alumnus adhuc Scholæ Thomanæ, & post An. M DCLXXVII. febre ardente decubuit, qua altera vice decem septimanis ægrotans iis symptomatibus laboravit, ex quibus ægre evasit. Precibus ergo suis DEO donatum agnoverunt uxor & filius, ipseque ægrotus beneficium valetudinis divinum humillima mente prædicavit. Etenim vir erat, qui pietate magna DEUM colebat, verbumque ejus in publicis congregationibus assidue audiebat, domi cum suis legebat & meditabatur, preces ad DEUM devote fundebat, Sacræ Cœnæ crebro usu fidem suam nutrebat, erga alios homines modestum, humilem, beneficum se exhibebat, adversitates quascunque a DEO Patre in bonum suum immittas patientissime perferebat. Nec alius in excessu ex hac vita fuit. Algere vehementer, mox ardere ac languere cœpit circa horam X. diei XII. Decembris. Secutus est dolor pleuriticus, quem die Martis vespere tribus horis molestissimum sensit. Ubi is remississet, gratias DEO dixit, ac aliquandiu quievit. Quanquam ita spes affulset valetudinem recuperandi, attamen Febris continua viriumque decrementum dubium eventum fecerunt, maxime cum die Saturni ad vesperam dolor rediret, ac horis quatuor cruciaret. Et hic paucio tempore cessavit quidem, sed ad cæteras ægri tudines difficulter respirare ac stertere deprehensus est. Ex quibus ipse Medicus collegit medicamenta morbo suo non prævalitura esse. Quare Plurimum Reverend. Dn. L. THOMAM ITTIGIUM ad se venire rogavit, a quo in fide de Gratia DEI in Christo, ac spe vitæ æternæ corroboratus beatam analysin intrepide expectavit. Adstabant uxor, filius, cognati, cum quibus orare, cantareque devote non prius destitit, quam quando quasi somno quodam obruebatur, in quo duabus horis acquievit, & sine omni dolore, ut vix adverteretur animam exhalavit, die XIX. Decembris hora V. pomeridiana dimidia, postquam vixit annis LIX. mensibus VII. diebus V. Huic Honorato Civi Nostro, quia ad horam I. hodie faciendæ sunt exequiæ, vestrarum partium erit, Cives Academici, id genus Officii prolixè præstare. P. P. die XXII. Decembris à nato Christo MDCXCII.

Literis WITTIGAVIANIS.

1077 110

A. K. 57. (41)

X 2047435

IV, 341

Zb
6960

RECTO
UNIVERSITATIS LIPS
Ad Exequiarum Officiu
DOMINO
JOH. CHRISTI
HIPPPIO,
 Philosophiæ & Medicinæ I
 Facultatis Medicæ Assessor.
hodie XXII. Decembris Anni M
hora I. meridiana
prolixè præstandum
CIVES ACADEMI
 peramanter vocat.

